

CLOTHARIUS FRANCORVM ET AVSTRASIORVM REX.



Lotharius filius fuit Clodouei primi regis Christiani apud Francos. Is inter fratres maximæ authoritatis existens, post patris obitum Parisios regēdos sortitus est. quum autem is magna gloria circa Lutetiam rebus præcesset, atq; intēum Theobaldus ex fratre pronepos sine prole mortuus esset, etiam Austrasiam prouinciam anno 540, competitoribus superatis, nactus est. Is inter initia nihil antiquius habuit, quam ut pace recuperata, Austrasianos per præfectos gubernaret. Ansberto igitur Hugobrechti ducis Austrasiae filio cū filiam Bluthildin uxorem dedisset, eundem Austrię & Brabatię ducem constituit. Cum aut Saxones eo anno rebellarent, Lotharius commotus super Visaram fluum cum ipsis pugnauit, & cruentam uictoriam obtinuit. Vnde totam eorum terram cum Thuringia peruagatus, in Austrasiam rediit.